S.ti Januarii

S. Francisci

Caracciolo Confes.

II - 41

J. III. 41.

DIE XII. APRILIS,

In Festo Translationis Sacri Corporis

S. EMYGDII

EPISCOPI, ET MARTYRIS

DUPLEX MINUS.

Omnia de communi unius Martyris tempore Paschali, vel extrà, si occurat, præter ea, quæ hic assignantur.

Ad Usum Monasticum.

ORATIO.

DEus, qui Beatum EMYGDIUM Martyrem tuum, atque Pontificem, Idolorum victoria, & miraculorum gloria decorasti; concede propitius, ut eo interveniente, malorum spirituum fraudes vincere, & coruscare virtutibus mereamur.
Per Dominum &c.
In primo Noct. lect. de scrip. occur. Si in Quadragesima. A mileto. Ut in com. unius Mart.

IN II. NOCTURNO.

Lectio V.

EMYGDIUS è nobili Francorum prosapia Treveris natus, Anno ætatis vigesimo tertio, Parentibus Idolatris frustrà obstantibus, fidem Christi suscepit, & constantissimè pro. fessus

fessus est: Cum tribus Discipulis Euplo, Germano, & Valentino vitam duxit, humanis spretis oblectamentis, rebus divinis pleniùs incumbebat: ergà proximum charitatis ardore æstuabat: Idcircò ad procurandam multorum salutem, Romam se contulit, hospitio exceptus in Insula Tiberis, hospitis filiam per quinquennium jam immedicabili morbo languentem Baptismo sanavit.

Lectio VI.

MOx oculis cæci coràm Populo signo Crucis apertis, à multitudine eum filium Appollinis credente, in Templum Æsculapii rapitur. Ibì Christi servum se professus, ejus invocatione magnum numerum ægrorum, ne quidquam Idoli opem implorantium valetudini restituit; Aras diruit, Æsculapii signum confractum in Tyberim, projecit: Quibus rebus, & mille tercentorum Gentilium, præter Æsculapii Sacerdotes, conversione indè sequuta, irritati Posthumii, Titiani Præfecti Urbis minas Angeli monitu declinans; Sanctum Marcellum Pontificem adiit, a quo Episcopus ordinatus, & Asculum missus est. Tu autem Dom. &c.

Lectio VII.

MUltis in itinere miraculis ingenti multitudine Christo adjuncta simul ac Asculum EMYGDIUS pervenit; Dœmones è simulacris Idolorum per cuncta Fana ejulatibus editis, peregrinam doloris sui causam indicarunt, quem cum concitata

plebs

plebs ad cædem quæreret, excitus tumultu Polimius Civtatis Præses eum ad se vocatum multis, sed irritis verbis ad Jovis, & Angariæ Deæ Asculi Patronæ venerationem hortatur, promissis etiam in præmium nuptiis propriæ filiæ Polisiæ, quam EMYGDIUS ad Christum conversam baptizavit, & post eam mille, & sexaginta homines, educta è saxo per ingens miraculum aquarum copia.

Lectio VIII.

HIs in rabiem actus Polimius Sancto Episcopo caput abscidit, quo facto truncus ejus mirabiliter erectus abjectum humo proprium caput tollens manibus per spatium tercentorum passuum ad Oratorium portavit, Undè ad Templum maximum translatus est, ubi magna Religione Asculani populi, & concursu, externorum hunc usque in diem colitur. Incidit ejus beata mors durante persecutione Diocletiani.

IN III. NOCTURNO.

Homilia.

Ego sum vitis vera &c. *Temp. Pasch.*

Si quis venit ad me &c. *Extrà Temp. Pasch.*

AD MISSAM.

Protexisti me Deus &c. *Temp. Pasch.*

Statuit ei Dominus &c. *Extrà Temp. Pasch.*

ORationem, & Lectiones prædictas in Officio Sancti EMYGDII Episcopi, & Martyris ab utriusque sexus Christifidelibus tùm Sæcularibus, tùm Regularibus Civitatis, totius Comitatus, & Diœcesis Asculi, necnon Oppidi Nereti, die Martyrii, & Translationis ejusdem Sancti recitandas, Sacra-

rum Rituum Congregatio, ad preces Eminentissimi D. Cardinalis Gabrielli Episcopi Asculani, & Capituli Ecclesiæ Cathedralis ejusdem Civitatis approbavit, ac imprimi posse concessit.

Die 26. *Januarii* 1658.

J. EP. SABIN. CARD. SACCHETT.

Loco ✠ Sigilli.

Franciscus Maria Phæbeus Sac. Rit. Cong. Secr.

DECRETUM

Extensionis Officii, & Missæ Sancti EMYGDII Principalis Protectoris, ac primi Episcopi, & Martyriis Civitatis Asculi sub ritu duplici minori pro tota Provincia Picena.

Humillimè Sanctissimo Domino nostro supplicantibus Episcopo, Capitulo, Clero, & Civitate Asculana pro extensione Officii, & Missæ S. EMYGDII illius Civitatis Principalis Protectoris, ac ejusdem primi Episcopi, & Martyris sub ritu duplici minori pro die 12. *Aprilis in Festo Translationis Sacri Corporis ipsius Sancti ad Ecclesiam Universalem Sanctitas Sua dictum Officium ab omnibus Christifidelibus Sæcularibus, & Regularibus utriusque sexus in tota Provincia Picena tantùm singulis annis die* 12. *Aprilis sub ritu duplici minori, servatis tamen Rubricis Breviarii, & Missalis Romani, recitari, & Missam respectivè celebrari posse benignè concessit.*

Die 14. *Junii* 1729.

N. Card. Coscia


Loco ✠ Sigilli

N. M. Tedeschi Archiepisc. Apamenus Sacr. Rit. Congr. secretarius.

803 464
2000,
J. III. 41



Bibliotheca
P.P. Camaldulensium in Bielany



17

38

27

16

2

7 12

16

160

8

J -